

Etum arietum generi, cen cestus daret: infesta tauris. In hoc quidem genere, & fœminis tribuit: in multis, tantum maribus. Rupicapris in dorsum adunca, damis in aduersum. Erecta autem, rugarumque ambitu contorta, & in leue fastigium exacuta (ut lyras diceret) strepsiceroti, quem addacem Africa appellat. Mobilia eadem (ut aures) Pbrygia armentis: Troglodytarum, in terram directa: qua de causa obliqua ceruice pascuntur, alijs singula, & hæc medio capite, aut naribus, ut diximus. Tamque alijs ad incursum robusta, alijs ad ictum, alijs adunca, alijs redunca, alijs ad iactum, pluribus modis, supina, conuersa, connexa: omnia in mucronem migrantia. In quodam genere pro manibus ad scabendum corpus. Cochleis ad prætentandum iter, corporea hæc, sicut ceraftis, aliquando & singula. Cochleis semper bina, & ut prætentantur, ac resiliant. Vrorum cornibus barbari septentrionales potant, urnasq; binas capitis unius cornua implent. Alij præfixa\* hastilia cuspidant. Apud nos in laminas secta translucent, atque etiam lumen inclusum latius fundunt, multasque alias ad delicias conferuntur, nunc tineta, nunc sublita, nunc quæ cerostrota picturæ genere dicuntur. Omnibus autem caua, & in mucrone demum concreta sunt. Ceruis tantum tota solida, & omnibus annis decidua. Boum attritis unguulis, cornua unguendo aruina, medentur agricolæ. Adeoq; sequax natura est, ut in ipsis uiuentium corporibus feruenti cera flectantur, atque incisa nascentium in diuersas partes torqueantur, ut singulis capitibus quaterna fiant. Tenuiora fœminis plerumque sunt, ut in pecore: multis ouium nulla, nec ceruarum, nec quibus multifidi pedes, nec solidipedum ulli: excepto asino Indico, qui uno armatus est cornu. Bisulcis bina tribuit, nulli superne primores habenti dentes. Qui putant eos in cornua absumi, facile coarquantur ceruarum natura, quæ neque dentes habent, ut neque mares, nec tamen cornua. Cæterorum ossibus adherent, ceruorum tantum cutibus enascuntur. Capita piscibus portioe corporum maxima, fortassis ut mergantur. Ostrearum generi, nulla, nec spongijs, nec alijs fere quibus solus ex sensibus tactus est. Quibusdam indiscretum caput est, ut cancris, in capite cunctorum animalium homini plurimus pilus, iam quidem promiscue maribus ac fœminis, apud intonsas utique gentes: Atque etiam nomina ex eo capillatis alpium incolis, Gallia comata, ut tamen sit aliqua in hoc terrarum differentia. Quippe Myconij carentes eo gignuntur, sicut in Cauno lienosi. Et quedam animalium naturaliter caluent, sicut struthiocameli, & corui aquatici, quibus apud Græcos nomen est inde. Defluuium eorum in muliere rarum, in spadonibus non usum, nec in ullo ante Veneris usum. Nec infra cerebrum, aut infra uerticem, aut circa tempora, atque aures. Caluitium uni tantum animalium homini, præterquam innatum. Canicies homini tantum et equis, sed homini semper à priori parte capitis, tum

\* his pila  
culp.

deinde ab auersa. Vertices bini homini tantum. Alij quibus capitis ossa plana tenuia, sine medullis, serratis pectinatim structa cõpagibus. Perfracta nõ queunt solidari: sed exempta modice non sunt letalia, in vicem eorum succedente corporea cicatrice. Infirmissima esse ursis, durissima psittacis, suo diximus loco. Cerebrum omnia habet animalia quæ sanguinem: etiam in mari quæ mollia appellauimus, quamuis careant sanguine, ut polypi. Sed homo portione maximum et humidissimum, omniumque uiscerum frigidissimum, duabus supra subterq; membranis uelatum, quarum alterutram rumpi mortiferum est. Cætero uiri quàm fœminæ maius. Hominiibus hoc sine sanguine, sine uenis, & reliquis sine pingui. Aliud esse quàm medullam, eruditi docent, quoniam coquendo durescat. Omnium cerebro medio insunt ossicula parua. Vni hominum infantia palpitat, nec corroboratur ante primum sermonis exordium. Hoc est uiscerum excelssimum, proximumq; cælo capitis, sine carne, sine cruore, sine fordibus: hanc habent sensus arcem: huc uenarum omnis à corde uis tendit, hic desinit: hic culmen altissimum, hic mentis est regimen. Omnium autem animalium in priora pronum, quia & sensus ante nos tendunt. Ab eo proficiscitur somnus, hinc capitis nutatio. Quæ cerebrum non habent, non dormiunt. Ceruis in capite inesse uermiculi, sub lingua inanitate, & circa articulum qua caput iungitur, numero uiginti præduntur. Aures homini tantum immobiles. Ab ijs Flaccorum cognomina. Nec in alia parte fœminis maius impendium, margaritis dependentibus. In oriente quidem & uiris aurum gestare eo loci decus existimatur. Animalium alijs maiores, alijs minores. Ceruis tantum scissæ, ac uelut diuise: soricibus pilosæ. Sed auricula omnibus, animal duntaxat generantibus, excepto uitulo marino atq; delphino, & quæ cartilaginea appellauimus, & uiperis. Hæc cauernas tantum habent aurium loco, præter cartilaginea, & delphinum quem tamen audire manifestum est. Nam & cantum inulcentur, & capiuntur attoniti sono. Quoniam modo audiant, mirum. Iidem nec olfactus vestigia habent, cum olfaciant sagacissime. Pennatorum animalium buboni tantum & oto, plume uelut aures, cæteris cauernæ ad auditum. Simili modo squamigeris atque serpentibus. In equis & omnium iumentorum genere, indicia animi præferunt: fessis marcidæ, micantes pauidis, subrectæ furētibus, resolutæ ægris. Facies homini tantum, cæteris os aut rostra. Frons & alijs, sed homini tantum tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, seueritatis index. In ascensu eius supercilia homini, & pariter & alterne mobilia, & in ijs pars animi. Negamus, annuimus. Hæc maxime indicant fastum. Superbia aliubi conceptaculum, sed hic sedem habet. In corde nascitur, huc subit, hic pendet. Nihil altius simul abruptiusq; inuenit in corpore, ubi solitaria esset. Subiacent oculi, pars corporis preciosissima, & qui lucis usu uitam distinguat à morte. Nõ omnibus animalium